

8

8  
L

ORDINIS JCTORVM  
IN ALMA AC PERANTIQVA ELECTORALI  
VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
DECANVS

ERNESTVS TENZELL,  
J. V. D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, JVDICII PROVIN-  
CIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVL PRIMARIVS,

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

HOCQVE PROGRAMMATE INAUGVRALI  
AD LECTIONEM CVRSOR. *Sup. L. Aedes 3. C. de Loc. Cond.*

ET HAC FINITA

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

INSPECTIONE CADAVERIS  
JVDICIALI,

A NOBILI ET CLARISSIMO JVRIVM CANDIDATO

DOMINO

JOANNE GOTTLIEB CHRISTIANI,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XXV. JVN. A. M DCC XXIII.

HABENDAS,

*Omnium ordinum Auditores decenter invitatur*

ET SIMUL

AN CONSENSV TACITO LOCATIO CON-  
DVCTIO CONFICI POSSIT,

DISCVTIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



Varios inter modos, quos Jura mortalibus concesserunt rebus suis uti fructusque ex illis capere, merito celebris est locatio Conductio, conservat enim hæc non solum rem, ita ut Dominium penes me remaneat *l. 39 ff. locat. cond.* sed etiam humanis necessitatibus atque indigentis consultit. *vid. STRYCK. vs. Mod. ad tit. ff. Loc. Cond. §. 1.* patet hinc inde speciem alienationis haud esse, quamvis enim occurrat nonnunquam translatio Dominii, *secundum quid,* ut in Contractu Societatis. *vid. CARPZ. P. II. c. 37. d. 19. in f.* vel etiam *absoluta,* ut in *L. 31. ff. locat. cond.* tamen hæc communem contractus locationis naturam excedunt, potiusque ad irregularem referuntur. In pluribus autem cum Emptione venditione hic contractus convenit. Uti apparet ex *L. 2. ff. locat. cond.* ita quoque principaliter & ad sui essentiam requirit consensum, an autem hic ab utraque parte debeat esse declaratus

ratus, varie inter Dd. controvertitur, WESENBEC.  
*ad tit. Loc. Cond. §. 4.* putat, non solum expresso sed  
etiam tacito consensu posse celebrari, sed qui intuetur  
mentem ejus, ei mox perspicuum erit, totam contro-  
versiam sicco præteriisse pede, quando enim dicit  
quod tacito consensu celebrari possit locatio, exempli  
loco suppeditat, si quis post locationis tempus elapsum  
inquilinum patiatur remanere in domo, *ex l. 13. in f.*  
*cum l. seq. ff. Locat. Cond.* quis autem non videt hoc  
modo non Contrahi locationem Conductionem, sed  
saltem renovari, si enim de novo contraheretur, susci-  
pienda necessario foret mutatio contractus, ita ut vel  
pro majori vel pro viliori pretio esset concedendum  
illud de quo antea conventum. LAUTERBACH. *in*  
*Compend. ad tit. ff. Loc. Cond. p. m. 370. in pr.* non recte  
sibi videtur constare, cui sententiæ sic addictus, dum  
dicit: vix posse tacito utriusque consensu ab initio  
contrahi *arg. §. 1. J. de Locat. Cond. L. 22. ff. de præscript.*  
*verb.* (ex quibus LL. sat clare liquet quod si pretium  
non sit ab initio determinatum quod tunc novum con-  
stituatur negotium) forte dubietatis ratio ipsius est,  
lubrica BACHOVII ad WESENB. quem etiam *b. l.*  
allegat, ratio: quod contractus verus, cujusmodi sit  
locatio à quasi Contractu hac qualitate conventionis  
distinguat, sicque videatur quod locatio nisi expref-  
se contrahi possit, sed Concessio licet BACHOVIO hoc,  
quod contractum verum constituat verus consensus,  
exinde tamen neutiquam sequitur, quod locatio quia  
sit contractus verus tacito consensu celebrari non pos-  
sit, est enim consensus tacitus etiam verus consensus,

& verus contractus à quasi contractu ita distinguitur: quod ille nitatur vero consensu, eoque vel expresso vel tacito, hic verò præsumto vel ficto, vid. MOLLENB. *colle&. ad Laut. p. 834. & in specie BERGERUM in Resol. Laut. ibi alleg.* HOPPIUS *ad §. 1. J. de Locat. Cond.* rem putat acu tetigisse, totamque controversiam distinctione quadam composuisse; distinguit enim inter rem locari solitam, & non solitam, & inter pretium determinatum, & non determinatum, sicque putat quando res sit locari solita, pretiumque ex consuetudine determinatum, tacitam fieri posse locationem, quando quis occupet rem illam, tunc enim censeatur alter se ad consuetum obligasse pretium. Sententia vero hæc si recte inspicatur minus videtur apta, omnique Jure contraria continet, ut taceam rem locari solitam quoque à Domino propriis usibus reservari posse, primo monendum, an pretium rei locatæ eum in finem a locatore sit determinatum ut nunquam ab eo possit recedi, pretia enim rerum quemadmodum ex hominum affectione & æstimatione dependent, ac proinde sunt variantia, sic etiam merces rerum locatarum. Nulla enim Jura obligant locatorem finita locatione rem pro eodem pretio conducendam relinquere, (si sc. declarat mentem suam, alias Jura præsumunt, si patiatul ulterius inhabitare vel possidere rem conductam quod tacite renovetur, quod supra quoque monitum) multo minus extraneo illam occupanti, expresse enim partes ab initio locationi consentire debent *l. 23. ff. Comm. divid. vid. BOEHM. in comp. ff. ad tit. loc. cond. §. 5.* Secundo dicit quod is qui

qui talem rem occupet censeatur se ad consuetum obligasse pretium, & Jura illum qui rem aliquam sine scientia Domini occupat, furis, Raptoris, aliaque titulorum insignia, tribuunt, quamvis enim proprie rerum immobilium furtum fieri non dicimus, sed invasionem, non tamen animus ingredientis statim potest colligi, Mirum itaque videtur cur LAUTERBACHIIUS à BACHOVIO seductus, dubiam amplexus sententiam, cum tamen Legis expressæ nempe *l. 22. ff. de præscr. verb.* pro se habeat fundamentum, Quemadmodum autem ab initio constituitur consensu Locatio conductio, ita & mutuo dissensu dissolvi eandem necesse est. Sequitur exinde quod invitus quis non e domo conducta possit expelli, nisi Dominus probaverit, sibi non suppetere ubi possit habitare, vel velit corrigere Domum, aut quis male versatus sit in re locata, qui tres casus reperiuntur, in *L. 3. C. de Locato & Conducto.* Quam Legem pro Lectio-  
ne cursoria sibi elegit

*Nobilis & Clarissimus Dominus*

**JOANNES GOTTLIEB  
CHRISTIANI,**

Cujus vitæ Studiorumque Curriculum paulo penitius nobis recensendum. Natus est Haynæ oppido Thuringiæ, sub ditione Gothana, Anno Salvatoris 1697. die 7. Novembris. Patre Viro quondam Nobilissimo & Consultissimo Domino HENRICO CHRISTIANO CHRISTIANI, tunc temporis *Jurisdictionis per præse-*  
*curam*


*Baron Equitum de Wangenheim Administratore gravissimo, postmodum vero Accisarum Regiarum apud Salzenses Inspectore, atque Caesarum patrono Inchyto; Matre vero dilectissima, AGNESA CHRISTINA e gente GUTBIERIORUM orta. A teneris statim unguiculis, Cantor Haynensis ipsi prima vitæ Christianæ atque Religionis principia instillavit, B Parentis exactissima cura in pietate atque literis tenerum confirmando accedente. Parens, cum relicto Præfecturæ Wangenheimensis munere, Longosalsam, suam matrisque patriam pro sede elegisset, curæ Præceptorum Scholæ Salzensis quo publica frueretur informatione tradidit, hoc in Lyceo B. Dn. Conrektoris JOACHIMI KEULINGII, nec minus Dni Rektoris M. CHRISTIANI MICHAELIS FISCHBECKII, in se merita digna laude effert. Ad maturiorem proventus ætatem, Illustram Scholam quæ floret Portæ, Amplissimo Senatu Salzensi locum ibidem concedente, A. 1712. salutavit, ibi per quinquennium, industria atque cura laude dignissimorum atque Nobilissimorum Virorum, B. Dn. M. HARTMANNI, postmodum in hujus locum successit M. JOANNIS DAVIDIS SCHREBERI, Rektoris, Dn. CONRADI CHRISTOPHORI BESSERI, Inspectoris, Dn. M. CHRISTIANI HEIDERI, Conrektoris, jam pie defuncti. M. SIGISMUNDI SCHRAMMII, Collegæ tertii, JOHANNIS CHRISTIANI MAJI, Cantoris, etiam pie defuncti, & denique Dn. M. JOHANNIS CHRISTIANI WEIDNERI, Diaconi & Collegæ extraordinarii, saluberrimis tam Philosophiæ quam Philologiæ præceptis imbutus fuit. Exacto hic quinquennio, dimis-*

dimissus, domumque reversus est, accepto optimo  
morum ac diligentiae suae testimonio. B. Dn. Parens  
quo nihil omitteret quod studiis ipsius inservire pos-  
set, ipsum per semestre spatium in primis Jurispruden-  
tiae elementis quoad fieri potuit erudit. Anno 1718,  
jussu jam dicti Parentis optimi, Musarum Salanarum  
sedem Jenam accessit, & a Pro-Rectore Magnifico Vi-  
ro summe Rev. JOANNE ANDREA DANZIO, SS.  
*Theol. & LL. Orient. P. P.* fascis Academiae gerente,  
in numerum Civium Academicorum est receptus. In  
hac Academia ductore atque Doctore Viro Excellen-  
tissimo Dn. D. JOHANNE WILHELMO DITMA-  
RO, *Consiliario Saxo-Meinungenst*, Collegium ad Institu-  
ta, Jus Pandectarum, & Collegium ad Gribneri prin-  
cipia processus absolvit. In Jure Feudali Dn. D.  
FRIEDERICUS GOTTLIEB STRUVIUS, & Jure  
Canonico Dn. D. NICOLAUS PRAGEMANNUS, fe-  
liciter ipsi praeverunt. Ingratum se quoque fore arbi-  
tratur, si Excellentissimi Dn. BRAUNII, *jam Consilia-  
rii Mansfeldensis*, in se collata beneficia silentio praeteri-  
ret, concessit enim is non solum ipsi, praelectionibus  
ad Struvii Jurisprudentiam Rom. Germanicam gratis  
interesse, sed etiam insuper studia ipsius subinde con-  
siliis saluberrimis adjuvit. Audivit quoque Excellen-  
tissimos ac Celeberrimos Jurium Doctores ac Profes-  
sores Dn. BRUCKNERUM, *Consiliarium Saxonicum,*  
*ac modern. Pro-Rect. Magn.* ad Stryckii introductionem  
Praxeos forensis, Dn. SCHOETERUM ad Novell. 115.  
de Successione ab intestato, & Dn. STRUVIUM ad  
Historiam de Successione in Regno Sueciae, commen-  
tantes.

tantes. Beneficia quoque extant in nostrum insignia,  
Celeberrimi Dn. D. HERMANNI FRIEDERICI  
TEICHMEYERI, *Prof. Med. & Phys. Experiment. Or-*  
*dinar.* quem summa cum animi delectatione, tam præ-  
cepta Physices Experimentalis, quam Medicinæ lega-  
lis tradentem, audivit. Exantlatis studiis atque labo-  
ribus Academicis in patriam sese contulit, & ductu B.  
Parentis quam diu superstes fuit, Praxi manum admo-  
vere periculum fecit. Honoribus autem Academicis  
consequendis nunc intentus, Facultati nostræ desuper  
desiderium suum aperuit, peritque ut Candidatorum  
Juris numero adscriberetur, posteaque ad Dissertatio-  
nem pro consequendis his dignitatibus, quam vocant  
Inauguralem admitteretur. Præbuit itaque in Exa-  
mine Juris riguroso & resolvendis ex utroque Jure  
textibus se talem, ut non dubitaverimus, ipsi honores  
conferre Academicos. Quare proximo die 25 Jun. a.c.  
Lectio Cursoriam & hac finita Dissertationem In-  
auguralem B. c. D. habebit. Adeste itaque, Magnifice  
Dn. Rector, Dni Proceres, ac Cives Academici, Actum-  
que hunc vestra frequenti præsentia, reddite solennem.  
Publ. sub Sigillo Fac. Jurid. ipso Festo Johannis Bapti-  
stæ, d. 24. Jun. 1723.

L.S.





tar  
Ce  
Ti  
di  
ce  
lis  
rib  
Pa  
ve  
co  
de  
Ju  
ne  
In  
mi  
tes  
co  
Le  
au  
Di  
qu  
Pu  
sta



n nostrum insignia,  
NI FRIEDERICI  
byf. Experiment. Or-  
eetatione, tam præ-  
am Medicinæ lega-  
i studiis atque labo-  
ontulit, & ductu B.  
raxi manum admo-  
autem Academicis  
ltati nostræ desuper  
e ut Candidatorum  
aque ad Dissertatio-  
tibus, quam vocant  
ouit itaque in Exa-  
is ex utroque Jure  
rimus, ipsi honores  
ximo die 25 Jun. a.c.  
Dissertationem In-  
e itaque, Magnifice  
Academici, Actum-  
a, reddite solennem.  
ello Johannis Bapti-